

Dicitur autem cœli creati & aspectabiles aliquando in scripturis sedes & thronus Dei, (& terra scabellum) non ac si iys inclusus detineretur, sed 1. Quia ibi gloria ejus & majestas vel imprimis est conspicua. 2. Humano more: sicut reges & principes sublimiori locantur loco, ut omnibus sint conspicui & venerabiles.

Sic concertus harmonicus Pythagoricorum, cum à nemine auditus, itidem pro figmento habendus: nisi harmoniam intelligant non de sono vocali, sed de proportione & æquabilitate in motu.

Aliam adhuc partem cœli alij faciunt, videlicet Galaxiam, seu viam lacteam, seu circulum lacteum à colore lactis dictum; cujus pars orientalis transit per decimum gradum cancri, & opposita per decimum capricorni: totam verò peragrât Cassiopeam, Gallinam, Aquilam, Sagittarum sagittam, Scorpii caudam, Centaurum, Argum, pedes Castoris & Pollucis, Heniochum & Perseum. De quo cingulo lacteo varie sunt opiniones.

Nam omissis poetarum diversissimis fabulis. 1. Aristoteles putabit esse meteorum ex fumis generatum. Quæ sententia toto cœlo errat: cum Galaxia non tantum in ipso cœlo sit (parallaxi enim caret) verum etiam in eodem loco cœli, eadem figurâ & magnitudine, percipiatur ab

su